

*Leistungskurs Bayern 1986*

**Die Entwicklung der Rhetorik in Griechenland**

*(Cic., Brutus 25ff.)*

Laudare eloquentiam et, quanta vis sit eius, expromere quantamque eis, qui sint eam consecuti, dignitatem afferat, neque propositum nobis est hoc loco neque necessarium. Hoc vero sine ulla dubitatione confirmaverim, sive illa pariatur arte aliqua sive exercitatione quadam sive natura, rem esse omnium difficillimam.

Testis est Graecia; quae cum eloquentiae studio sit incensa iamdiuque excellat in ea praestetque ceteris, tamen omnes artes habet multo ante non inventas solum, sed etiam perfectas, quam (1) haec est a Graecis elaborata dicendi vis atque copia.

In quam cum intueor, maxime mihi occurrunt et quasi lucent Athenae; qua in urbe primum se orator extulit, primumque etiam monumentis et litteris oratio est coepta mandari. Tamen ante Periclem et Thucydidem, qui non nascentibus Athenis (2), sed iam adultis (3) fuerunt, littera nulla est, quae quidem ornatum aliquem habeat et oratoris esse videatur. Quamquam opinio est et eum, qui multis annis ante hos fuerit, Pisistratum et paulo seniore etiam Solonem posteaque Clisthenem (4) multum, ut (5) temporibus illis, valuisse dicendo.

Aliquot annis post hanc aetatem Themistocles fuit, quem constat cum prudentia tum etiam eloquentia praestitisse; post Pericles, qui, cum floreret omni genere virtutis, hac tamen fuit laude clarissimus. Quibus temporibus quod dicendi genus viguerit, ex Thucydidis scriptis, qui ipse tum fuit, intellegi maxime potest. Grandes erant verbis, crebri sententiis, compressione rerum breves et ob eam ipsam causam interdum subobscuri.

Sed ut intellectum est, quantam vim haberet accurata oratio, tum etiam magistri dicendi multi subito exstiterunt et docere se profitebantur, quemadmodum causa inferior - ita enim loquebantur - dicendo fieri superior posset. (252 Wörter)

- 
- |     |                       |  |
|-----|-----------------------|--|
| (1) | quam                  | zu beziehen auf „ante“                           |
| (2) | nascentes Athenae     | die Frühzeit Athens                              |
| (3) | adultae (sc. Athenae) | die Blütezeit Athens                             |
| (4) | Clisthenes            | Kleisthenes; attischer Staatsmann um 510 v. Chr. |
| (5) | ut                    | hier einschränken: jedenfalls                    |